


1733. 4
1720 4a

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
^{H. T.}
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAIE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.





um Potentissimi Regis no-
strī Edictō priori *contra*
uindictam priuatam de
A. 1706. diferte cautum
sit atque sancitum, ebrie-
tatis causa nullo in deli-
cto poenae mitiori locum esse relinquendū,
sed in ebrios eodem modo, ac data
opera delinquentes merentur, animaduer-
tendum, in posteriori autem, eoque recon-
gnito, huius generis Mandato *de A. 1712.* sa-
pientissimo Legislatori satius uisum fuerit
ac consultius, in turpiter factis excusatio-
nem ebrietatis pro religione iudicantis ad-
mittere, quam penitus eam reiicere: hinc
ab instituto non erit alienum, cognoscere
paucis, quidnam forte consilii tam insigni
aequitatis temperamento iustam praebue-
rit occasionem. Iura quidem diuina, tam
connatum, quam reuelatum, detestantur

ebrietatem, atque iis, qui perniciosissimo
inebriandi consuetudinis morbo laborant,
grauior uix comminatio posset imponi,
quam quae i. ad Corinth. 6. u. 10. item Galat. 5. u. 21. habetur, eos nimirum regnum
Domini haud possessuros : At enim uero
statuendi in eos, qui ebrii, uel ebriosi, fa-
cinus perpetrauerunt, poenam ordinariam
uestigium reperitur ullum neque in Pan-
dectis sacris, neque etiam in Codice Iuris
Canonici, quippe quod tantum, sumere ci-
bum cum ebriosi, eiusque familiaritate uti,
can. 24. C. XI. qu. 3. ac pro eo, qui moritur
in ebrietate, preces fundere, cap. 1. X. de Re-
liqu. & uener. sanct. ueritat, itemque, cleri-
cum, qui a potationibus & crapulis, admo-
nitus licet, se non abstinet, ab officio, uel be-
neficio, suspendi, cap. 14. X. de Vit. & honest.
cleric. iubet ; quim potius eodem iure,
quod, praeterquam uoluntate ductos, ho-
mines ad culpam trahi, non permittit, delinquentes per uinum, tanquam nescientes,
quid agant, uenia digni censentur, adeoque
Lothus ebrietatis tantum, non autem in-
vestitus, accusatur. can. 7. 9. & 10. C. XV. qu. 1.
Conspirant hac in re Leges, quas vocamus,
Ciui-

Ciuiles, siquidem Marcianus ICtus ebrium,
non proposito, sed *impetu*, *delinquere*, re-
spondet, l. ii. §. 2. π. de Poen. atque Arrius
Menander, ICtus, *militi*, per *uinum lapso*,
poenam capitis remittendam esse, asseuerat,
l. 6. §. 7. π. de re milit. unde nonnulli argu-
mentantur, si igitur ebrio parendum sit in
bello, ubi strictior usu uenit disciplina, poe-
naque obtinet acerbior, multo magis hoc
in pace obseruandum esse. Immo ex Re-
scripto Imp. AAA. Theodosii, Arcadii,
& Honorii, *per temulentiam Principi male*
dicentes cuidam poenae non sunt subiugan-
di, neque duri quicquam, neque asperi, de-
bent sustinere. l. un. C. *Si quis Imper. male dix.*
Contra ea, quod ad constitutas Imperii
nostri leges attinet, iis multo rigidius ac
seuerius in ebrios animaduertitur. Exem-
pli loco, uel ad AA. Imp. Maximiliani I.
& II. *sanc*tions* prouocare, sufficiet.* Ha-
rum enim prior, quae Recessu Imperii,
Treuiri & Coloniae A. 1512. condito, Art.
IV. §. 5. continetur, potatores nobilēs, *tum*
a muneribus & honoribus iam susceptis, tum a
consequendis, cum ignominia excludit, non
nobilibus autem, & qui inferioris sunt di-

(3)

gni-

gnitatis, grauem corporis poenam infligit.
Ac posterior, quae in Ordinatione eque-
strij, pedestriique, de An. 1570. art. 50.
& 197. reperitur, ebrietatis omnino mul-
lam in coercendis alijs delictis haberij
rationem, sed in ebrietate delinquentem du-
riori, etiam dupli, poena affici, iubet.
Reliqua eius generis loca, quae in Recess.
Imp. de A. 1500. Tit. 28. Reform. Polit. de
A. 1530. Tit. 8. it. de A. 1548. Tit. 8. & Or-
din. Polit. de A. 1577. Tit. 8. legere licet,
cum de arbitaria solum poena, ebriis di-
gitanda, agant, silentio sponte praeter-
imus. Ex hisce uero diuersis iuribus, quae
in rem praesentem adducere operae pre-
mium putauit, haud obscure patet, si cui
legi scriptae supra excitata prior in ebrie-
tatem animaduersio, quam Regium Edi-
ctum contra uindictam priuatam de A.
1706. exhibit, originem suam referat ac-
ceptam, tum sane hanc commemoratae
Diui Imp. Maximiliani II. constitutioni
esse uindicandam. Atque Electores Sa-
xorum Principes suis in poenalibus san-
ctionibus saepissime ad Imperii leges re-
spexisse, nemo facile in dubium uoca-
bit,

bit, huius rei ueritate, quod ad ipsum
ebrietatis uitium spectat, ex Ord. Polit.
Elect. Sax. de A. 1612. n. 12. & de A. 1661.
Tit. 19. conuictus. Reliquum est, ut de
diuersis DD. atque Interpretum sententiis
nunc dispiciamus. Alii enim ebrium de-
linquentem omni absoluunt poena, alii au-
tem, pro ordinaria propugnantes, ab al-
tera parte excedendo peccant. In ar-
duis olim ac difficilibus causis haud ra-
ro, *sibi non*, uel, *nondum liquere*, iurasse iu-
dices, constat ex l. 36. π. de re iudic. & l.
13. §. f. π. de recept. quorum si uestigia pre-
merent illi, minus forte in aequo diiu-
dicando offendere uiderentur. Cum mi-
hi admodum breuitati sit studendum,
praeterquam potiores, horum DD. ratio-
nes exponere non uacat. Dicunt au-
tem ii, qui ebrium delinquentem nulli
poenae uolunt obnoxium, maleficia ex
uoluntate & proposito aestimanda esse,
sed ebrium omni prorsus ratione, reique
gerendae consilio, destitui, ac consensu.
Verum enim uero, qui, ebrium delinquentem
ordinaria plectendum esse poena, con-
tendunt, maximopere urgent, ebrietatem

con-

contra ius diuinum esse ac humanum, sique, alio quodam delicto concurrente, reum in duplēm prolabi poenam, minime uero eam, quae huius delicti propria est, atque ordinaria, minui. Nobis, ex natura & indole delictorum ac poenarum pau-
lo distinctius hac de controuersia differe-
re, necesse uidetur. Aut enim quis *dolo*
suo, aut *culpa sua*, aut etiam *sine culpa*, e-
brius factus est, ac deliquit. *Priori casu*,
si quis ea quidem mente potui plus iusto
indulxit, ut delictum, ante sibi in animo
propositum, eo facilius effectui daret, uel
certum facinoris genus admittere solitus,
deque eo in posterum uitando, & potan-
di consuetudine eam ob causam depo-
nenda, sub poena huius facinoris consue-
ta admonitus, illud tamen denuo per e-
brietatem perpetravit, uel etiam postea,
crapula discussa, sobrium facti non poe-
niteat, sed illud habeat ratum, & tantum
non de eo constanter glorietur, tunc *poe-*
nam turpis sui facti ordinariam iure meri-
toque sustinet. At secus res altero casu
se habet. Nam certo certius est, in deli-
citis non tam exitum, quam uoluntatem
spe-

spectari, ac delinquentis propositum, l. 14.
π. ad L. Corn. de Sicar. l. 53. pr. π. de furt.
omnemque poenam maleficis debere es-
se proportionatam. Cum igitur Lex ad
plenum perfectumque delicti gradum do-
lum malum requirat, l. 50. §. 2. π. de furt.
l. 3. §. 2. π. l. 5. C. de iniur. l. 1. pr. §. 1. & 3.
l. 7. l. 16. π. l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. is, qui
per culpam ebrius factus est, ac deliquit,
Legem plene transgressus est nequaquam,
adeoque nec plena ipsi poena potest in-
iungi, sed, pro ratione tantum culpae,
extra ordinem debet coerceri, siquidem
nec culpa lata in causa criminali, uel infa-
miam irrogante, dolo aequiparatur, l. 7.
π. ad L. Corn. de Sicar. ac uoluntas hoc
quidem casu in *primum*, scilicet *potationis*,
actum directe, in *secundum* uero & *terti-
um*, nempe *ebrietatis*, & *delicti*, in ea
commisſi, non, nisi indirecte & per acci-
dens, lata esse uidetur. *Tertius & ulti-
mus casus*, cum in se euidens sit & clarus,
probatione uix indiget. Quoties enim ex
iis, quae rem circumstant, planum per-
spicuumque est, alicui neque dolum posse

)) tri-

tribui, neque culpam, toties poena lo-
cum inuenire nequit. DD. eo referunt,
si, quo inscio, sal quoddam, usu rationis
homines priuans, in uinum sit coniectum,
aut uitrum eiusmodi balsamo illitum, aut
quis ad bibendum ui coactus fuerit. Ce-
terum haec tenus dicta de ebrietate *enormi*,
quae mentis exilium inducit, ita, ut nec
pes, nec manus, officium suum facere
queat, non autem de *leui* & affecta-
ta, quae duntaxat hilaritatem excitat,
nec usum rationis tollit, intellecta cu-
pimus. Altera haec enim neutiquam
excusat, quamuis, in atroci delicto genus
mortis propterea commutatum fuisse, me-
minerim. Et hac ratione tantopere dissi-
dentes DD. sententiae, qua alii ebrium or-
dinarie puniendum esse, aliiq; excusandum
plane, opinantur, facili negotio possunt con-
ciliari. Hinc etiam licet coniicere, quam
quidem sententiam Rex noster longe Cle-
mentissimus in haud ita multo post ad-
missa ebrietatis excusatione comproba-
uerit. Plura alio tempore, locoue, hoc de
argumento commentandi suppeditabitur,
spera-

speramus, occasio. Postulat nunc insti-
tuti ratio, ut more maiorum de Clarissi-
mi Candidati nostri, CHRISTIANI
GOTTLIEB REINHARDI,
uitae, studiorumque, ratione nonnulla
exponamus. Patriam illi nascendi fors
VIII. Cal. Mart. A. c 19 19c XCII. dedit
Schmidebergam, Oppidum, altero abhinc
lapide distans. Patre natus est IOANNE
FRIDERICO REINHARDO, Consule
bene merenti, Regiorumque tributo-
rum, quae Steurarum nomine uenient,
Quaestore, Matre, ROSINA HELENA,
ex Schleusneriana gente profecta. Iactis
probe domi pietatis fundamentis, Scho-
lae patriae est creditus, cuius magistros,
Tischerum, Pitschiumqne, morum integri-
tate, proficiendique studio, ita sibi conci-
liauit, ut omni opera, atque intentione,
in eo formando uersarentur. Postea a
Parentibus, duodecennis adhuc, *Görlici-
um* missus est, ibique sub *Grossero, Hauf-
sio, Haamanno, Heinkio*, aliisque elegan-
tioris humaniorisque doctrinae Magistris,

() 2 per

per quadriennium non parum profecit.
Ad haec accessit *Christophori Moller*, *Chori Musici Directoris*, benevolentia, qua ho-
spitio eum excepit, conuenienter praebuit li-
beraliter, optimaque disciplina, quam diu
ibi fuit, instruxit. Tali modo praepara-
to animo, proficisci poterat ad Academi-
am, nisi Patri fecus esset uisum, quando,
tenerioris adhuc aetatis habita ratione, Il-
lustri Ludo *Grimmenſi*, ibidemque Clar.
Petermanni, *Ermelii* itidem, ac *Iacobi*, eum
tradidit disciplinae, Regioque beneficio
ornatum, auctumque, per tres annos
studiorum causa commorari, iussit. Ne-
que uero haec mora damno ei fuit adeo,
quin ipso expertus sit opere, positis in
scholis solide fundamentis, progressus in
Academicis studiis esse partim faciliores,
partim feliciores. Hinc A. c. lɔ lɔcc XI. *Grim-
mae* dicens uale *Vitembergam* cum uenisset,
ac Pro Rectore Magnifico, Viro Exellen-
tissimo, DN. D MICH. HENR. GRIBNE-
RO, in ciuium Academicorum tabulas
esset relatus, VVOLFIVM, Philosophi-
am tum extra ordinem profitentem, au-
diuit

diuit utiliter, eiusdemque placita, in scholis
Viri Consultissimi, DN. D. CASP. HEN-
RICI BRENDELII, ad primas Juris Institu-
tiones transtulit cum fructu, sicque mox
ad altiores disciplinas se accinxit. In
his secutus est Duces, Celeberrimos ac
dexterinos ICtos, Diuum HORNIVM,
Diuum BEYRVM, & adhuc bene meren-
tem Dn. D. KRAVSIVM, primoque loco
nominandum, Virum Magnificum atque
Excellentissimum, Dn. D. IOANNEM
BALTH. VVERNHERVM, *Ordinis sui*
Praesidem grauissimum, quorum merita, uti-
par est, gratus agnoscit. Tantum enim
ex his profecit, ut elapso quadriennio, no-
men inter Iuris Candidatos profiteri, &
ut in numerum Aduocatorum recipereetur,
a Potentissimo Rege obtinere, causas item
orare, quod haetenus fecit, cum laude pos-
set. Cum uero per nouem annos inte-
gros, partim discendo, partim aliorum
commodis seruiendo, in hac Academia sit
uersatus, lubens fatetur, maximam se omnis
fortunae, progressuumque, quos in agendi
peritia haetenus fecerit, partem Viro Con-

)) (3

ful-

sultissimo atque Amplissimo Dn. D. CHRISTIANO IAC. HEILIO, Hospiti ac Euergetae optimo, debere. Intellexit autem noster, postquam totum se Iuridicae Praxi consecrauit, summos in Vtroque Iure honores, ac priuilegia, haud exiguo fibi ornamento esse futura. Quare ipsum nostrum Ordinem adiit modeste, & ut Licentia, summos in Vtroque Iure honores capessendi, fibi tribueretur, petiit decenter, locus etiam eius precibus a nobis est relictus. Opus nunc est, ut solemne adhuc suae eruditionis edat argumentum. Cui uero exhibendo cum proximus dies Iouis sit praescriptus, *Observationes circa Processum Saxonicum, quo causae iniuriarum ex Mandato Regio de A. M DCC XII. peraguntur*, Praefide Excellentissimo Consultissimo que Viro, Dn. GODOFR. LVDOVICO MENCKENIO P.P. & Dicasteriorum, quae hic florent, Iudicii item Provincialis in Marchionatu Lusatiae Inferioris, Assessore, publicae eruditorum disquisitioni est propositurus. Igitur ea, qua par est obseruantia, humanitateque, rogamus, ut Illusterrimi

strissimi Comites, Academiae Proceres,
Omnium Ordinum Assessores, Generosi-
que ac Nobilissimi Legum cultores, o-
mnesque, qui studiorum causa apud nos de-
gunt, actui huic solemni interesse, eundem
que praesentia sua ornare, haud grauatum
uelint, simulque in nos recipimus, memo-
ri nos semper, gratoque animo, hoc be-
nevolentiae genus, data quavis occasione,
esse compensaturos. P. P. Vitembergae,

Dominica, quae in fastis Christianorum
uocatur, Iudica, A. R. S.

CIC 1300 XX.

LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

Wittenberg, Diss., 1720



3

f

sb.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

Inches

Farbkarte #13

1733

1720

4
42

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAIE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.